



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 35. Episcopus Eleinsis ex Anglia pulsus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

## §. XXXV.

Sæcul. XII.  
A.C. 1191.*Episcopus Eliensis ex Anglia pulsus.*

Richardo Rege absente, graves turbæ in Anglia exortæ. Nam duo ejus fratres, Joannes Comes Moretonii \* & \* Mortain. Godefridus Archiepiscopus Eboracensis, violato juramento, quod ediderant, se in Ditionibus ultra mare positis commoratos, in Angliam reversi factionem validam excitarunt contra Guilielmum Episcopum Eliensem, Regni Cancellarium, Sacræ Sedis Legatum, cui præcipue Rex res gerendi potestatem & auctoritatem crediderat; hoc enim viro ad reprimenda eorum molimina utebatur. Ceterum Archiepiscopus Eboracensis, cum mandata a Summo Pontifice obtinuisset, effecerat, ut Turone a Bartholomæo Archiepiscopo, sex ejus Suffraganeis & Episcopo Bajocensi assistentibus, die Dominica, decima octava Augusti in Ecclesia Metropolitana S. Mauritii consecraretur, frustra repugnantibus Clericis & Suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ, & affirmantibus, Archiepiscopum Eboracensem a nullo alio quam a suo Archiepiscopo ordinari debere. Unde, cum Godefridus in Angliam die decima quarta Septembris appulisset, jubente Episcopo Eliensi Dubri

*Rog. p. 700.**\* Mortain.**Radev. Dit.  
p. 663.**Gervas.  
p. 1571.*

com-

Sæcul. XII.  
A.C. 1191.

comprehensus, per plateas turpiter raptatus & in carcerem conjectus est.

Radulf.  
p. 659.

Id. p. 664.  
Rog. p. 701.

Captivum Moretonii Comes ejus frater liberavit, ac captata occasione, quod tanta Archipræsuli illata esset injuria, Episcopos Principesque Angliæ, jam ante Episcopo Eliensi, auctoritate sua invidiose utenti, infestos, acerrime concitavit. Inter hæc Gualterius Archiepiscopus Rotomagensis in Angliam vigesima septima Aprilis reversus erat, cum epistola Richardi Regis, in qua Episcopo Eliensi aliisque, quibus curam Regni commiserat, præcipiebat, ut Gualterium omnium consiliorum ad Rempublicam pertinentium participem facerent. Ut Regiis mandatis satisfaceret, Comite Moretonii auctore, Londini, die Martis, octava Octobris, Conventus celebratus, cui duo Archiepiscopi Rotomagensis & Eboracensis, omnes ferme Episcopi, atque inter alios S. Hugo Lincolnensis, & Comites Angliæ interfuerunt. In eo autem, Cancellario Episcopo Eliensi, a Regimine Reipublicæ communi consensu deposito, Archiepiscopus Rotomagensis subrogatus est, qui nihil agere, nisi ex consilio virorum, sibi a Rege ad res gerendas adjunctorum, constituit. Cancellarius cedere tempori coactus, Turrim Londinensem, quo se receperat, tradidit, promittens se prius Regno non excessu.

cessurum, quam etiam alia munimenta, quæ in ipsius erant potestate, dedidisset. Nihilominus, cum Dubri e portu solvere, sub muliebri veste latens, pararet, proditus & custodiæ datus est. Episcopis deinde faventibus in libertatem assertus, in Franciam trajecit, ubi Parisiis ab Episcopo Clericisque solemniter pompa procedentibus exceptus est, a quibus, datis sexaginta argenti marcis, honorem istum impetravit. Inde Guilielmus in Normanniam digressus, Legatis ad Cœlestinum Papam missis, contra Comitem Mortaniæ consciosque actionem movit.

Sæcul. XII.

A.C. 1197.

*Jo. Brompt.*  
p. 1226.

## §. XXXVI.

*Actio Romæ contra Episcopum Eliensem.*

Sed ejus Adversarii quoque Nuncios Romam miserunt, & Hugo Episcopus Coventriensis, edito Libello, omnium conjuratorum querelas contra Cancellarium exposuit, quas exaggeravit, & scomatice ejus depositionem, fugam, ac denique, quibus adjunctis ejus sexus Dubri deprehensus fuerit, verbis, quæ honeste non proferantur, retulit. In fine petiit, ut Ecclesia Romana ob tam gravium erratorum pœnas exigat, & Rex Angliæ Regno suo viros idoneos præficiat. Verum Papa majorem rationem

*Rog. p. 702.*

*Hist. Eccles. Tom. XVIII. T ha-*